

**Annotata quaedam de spina ventosa : cum annexa singulari hujus morbi observatione : pro summis in arte salutari honoribus juribus ac privilegiis die XXIX. Martii MDCCCXVII. publice offert / auctor Fridericus Henricus Schuchardt.**

### **Contributors**

Schuchardt, Friedrich Heinrich.  
Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

Marburgi : Prelo J.C. Kriegeri academico, [1817]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/exm8956t>

### **Provider**

Royal College of Surgeons

### **License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Annotata quaedam

de

3.

# Spina ventosa

cum annexa singulari

## hujus morbi observatione

pro summis

in arte salutari honoribus

juribus ac privilegiis

die XXIX. Martii MDCCCXVII.


publice offert

auctor

Fridericus Henricus Schuchardt,

Cassella Hassus

medicus militaris Britannicus.



Marburgi,

preso J. C. Kriegeri academico.

Digitized by the Internet Archive  
in 2015

<https://archive.org/details/b22377311>

Viris illustribus  
excellentissimis atque expertissimis  
D o m i n o  
**Paulo Friderico Grandidier,**  
Medicinae Doctori,  
augustissimo Hassorum principi electori ab aulae  
consiliis supremis,  
supremi sanitatis collegii,  
quod Cassellis est,  
d i r e c t o r i m e r i t i s s i m o ,  
nec non  
D o m i n o  
**Cornelio Grandidier,**  
Medicinae Doctori,  
augustissimo Hassorum principi electori ab aulae  
consiliis et archiatro,  
supremi sanitatis collegii,  
quod Cassellis est,  
a s s e s s o r i d i g n i s s i m o ,

V i r i s

de rebus Hassiae medicis

meritissimis,

fautoribus et cognatis suis

summopere colendis

h a s c e p a g e l l a s

in sincerrimum

devotae mentis monumentum

sacras esse vult

tantorum nominum

c u l t o r o b s e r v a n t i s s i m u s

a u c t o r .

---

## P r a e f a t i o .

---

*Anno millesimo octingentesimo duodecimo  
almae Georgiae Augustae, quae Gottingae  
floret, quum valedixisset, medici militaris  
munus suspicere coactus sum temporum ini-  
quitate. Dum hoc officio plures per annos  
fungebar, spinam ventosam non solum ob-  
servandi sed etiam cognoscendi et curandi  
occasio mihi est oblata. Qui quidem morbus  
inter rariores quum referatur eaque de causa  
a multis male judicetur, dissertationis loco  
pro summis in re medica honoribus rite con-  
sequendis hanc materiam, quae diligenter  
accurateque elaborata raro habetur, mihi  
eligendam atque tractandam censui. Sed et  
aliae mihi erant causae. Hic enim casus  
qui a duobus aliis medicis jam antea erat  
pessime dijudicatus, ita ut, quum alter  
eum, quem per novem menses externis cura-  
verat medicaminibus morbum, fecisset dete-  
riorem infestioremque, alter in auxilium  
postero tempore vocatus insanabilem eum  
existimaret, atque manum, cuius tantum os  
metacarpi laborabat spina ventosa, ampu-*

*tandam judicaret, hic morbus in ipso mune-  
ris principio a me ipso medico tirone felici-  
ter est sanatus. Quo factum est, ut diligen-  
tem atque attentum hujus morbi observantem  
me praeberem, et omni cura primarias ejus  
causas et originem inquirerem. Accedebat,  
quod anno tertio decimo hujus saeculi, quum  
apud exercitum Britannicum medici munere  
fungerer, copia mihi est data pergratissima,  
Londini et Lutetiae Parisiorum nosocomia  
ampla atque celeberrima frequentandi, et  
dum liceret hujus morbi omnes gradus ob-  
servandi. Magna cum laetitia quae jam  
antea observaveram omnia probata inveni,  
eaque de causa, quamquam multa jamjam  
de spina ventosa a medicis exstant scripta,  
pro indubitata tamen experientiae et obser-  
vationis in omni physica et arte medica di-  
gnitate ac praerogativa, meam quoque, quae  
huc facit, observationem haud prorsus inu-  
tilem fore atque virorum celeberrimorum in-  
dulgentiam acquisituram esse, opto et spero.  
Vale!*

Marburgi iv. Cal. April. ccccxvii.

---

*Spina ventosa*, seu *Paedarthrocace* (a), apud veteres et recentiores scriptores variis ac diversis nominibus auditur, v. c. *Gangraena* s. *Cancer ossis*, *Arthrocace*, *Caries humida cancrosa*, *Teredo*, *Sideratio*. Horum verborum notionem, ut a pluribus jam factum est, ne longius, quam doctissimi viri concedunt, extendas cave; nam, si id fit, paedarthrocaces synonyma haberri nequeunt. Hoc nomen enim, quod secundum etymologiam e tribus verbis graecis, nempe  $\pi\alpha\tilde{\iota}\sigma$ , infans,  $\alpha\acute{g}\theta\varrho\sigma$ , articulus, junctura, et  $\kappa\alpha\tilde{\iota}\sigma$ , malus, est compositum, et morbo, quo articulus est affectus, maxime convenit, plures auctores,

a) *Lentin* Beiträge zur ausübenden Arzneiwissenschaft. 1. Bd. pag. 209. — *Kortum* Commentatio de vitio scrofuloso. Lemgoviae 1789. §. 104. — *Boyer* Vorlesungen über die Krankheiten der Knochen. 2. Bd. pag. 54.

uti *Severinus* (*b*), *Heisterus*, *Selli*  
*lius*, *Callisenus* (*c*), *Leidenfro*  
*stius* (*d*) etc. viri doctissimi, quibus *Boett*  
*cherus* (*e*) est annumerandus, qui utrum  
que malum separat, adhibent dexterime,  
iique, quod probe notandum est, distin  
gunt inter paedarthrocacen et spinam ven  
tosam. Quum vero differentia, quam in  
ter haec duo nomina statuere possumus,  
in eo potissimum consistat, quod hic mor  
bus junctura ossis extrema correpta pae  
darthrocace, et osse ipso intumescente  
spina ventosa nominari liceat; temperare  
mihi non possum, quin haec nomina, dis  
crimine isto misso, praesertim quum uter  
que morbus in universum ejusdem causae  
et rationis sit, et unum idemque ossium  
genus afficiat, *Chunio* (*f*) et *Kortu*  
*mio* (*g*) ducibus, habeam aequipollentia.

*b)* De paedarthrocace. Cap. I.

*c)* In variis eorum operibus.

*d)* *J. A. Glumm* Diss. de chelidonio majori. Duis  
burgi 1786.

*e)* Abhandlung von den Krankheiten der Knochen,  
Knorpel etc. 3. Thl. pag. 118 — 124.

*f)* *Chun* Diss. de paedarthrocace. Marburgi 1697.

*g)* L. c.

Nec supervacaneum est hoc loco monere, **D. Himly et Langenbeckium**, Profesores Gottingenses, quorum lectiones de ossium morbis frequentavi, utrumque nomen *synonymiūs* usurpasse.

His praemissis transeo ad hujus morbi naturam atque indolem breviter delineandam.

Hic morbus solummodo brevia manus atque pedis ossa, interdum etiam, quamvis rarissime, carpi et tarsi ossa corripit (*h*). Quae quidem ossa morbo affecta, ex inflammatione interna medullam et periosteum internum maxima ex parte consumente, graviter intumescunt, ita ut infans in parte affecta dolores plus minus acutos sentiat. Externa quidem membra cutis primo non immutatur, sed sensim sensimque facta ossis tumidi expansione modo enitescit. Malum in hoc stadio plures per menses, interdum longius, perseverat, donec cutis in ea parte rubescit, livet, atque flaccescere incipit. Tum et fluctuatio, quae indicat

*h)* Scriptorum seriem, qui in hisce ossibus illum observarunt morbum, exhibet *Augustinus* in libro de Spina ventosa ossium. Halae 1797.  
pag. 14.

proximam cutis disruptionem, sentitur. Cuto erupta ab initio e vulnere tenuis et rubida, quae odore plus minus offendit, sanies profluit, et fistula ossis ipsa conspicitur, stilum enim ad ossis cavum intrudere possumus. Ossis tumor, quod ad eum attinet, cumscriptus est, nec immutatur ac non nisi malo universalis paedarthrocacem producente feliciter sanato iterum evanescit. Ejusmodi parvuli scilicet, uti ex habitu scrophuloso aut ex ejusmodi universalis morbi signis colligi potest, summopere sunt scrophulosi (*i*).

Quum spina ventosa adhuc incipiente universalis parvuli constitutio et aegritudo medico saepius praebat mali illius diagnosis, a qua, dummodo ea praemature et recte sit facta, tota prognosis atque curatio dependet, haec res, quae est mea opinio, praeceteris nobis est inquirenda. Externum vulnus ambitus depresso et callosi marginis est, ex quo caro luxurians

*i)* Vid. Leurs Prijsverhandelingen bekroond door het Genotschap ter Bevordering der Heelkunde te Amsterdam. Erste Deel. 1791. Conf. Salzburger medicinische chirurgische Zeitung 1795. Vol. II. Nro. 27.

continuo progerminat. Interdum etiam exigua ossis frusta, arenularum instar, affecto osse subinde separata et puri admixta excerni observatur. In ipsius morbi decursu e vulnere parum mucosi puris, idque odo-  
ris expers, effluit. Hunc odoris prorsus defectum, quo paedarthrocace tum a carie tum ab aliis ossium morbis proprie distin-  
guitur, D. *Lucae*, praceptor meus aman-  
tissimus, nonnullis observationibus in scro-  
phulosorum infantium metacarpo et meta-  
tarso factis innixus, praecipuis atque sin-  
gularibus paedarthrocaces signis characte-  
risticis annumerat, imo accuratam hujus  
mali descriptionem, quae signis a me pro-  
latis maxime convenit, benevole mihi com-  
municavit. Ad pathognomica signa etiam  
referri potest hujus morbi ortus et progres-  
sus, qui ab intus ad extus in osse procedit;  
qua de causa et *Bromfieldius* spinam  
ventosam nec immerito appellat medullae  
abscessum (k). Tumor enim et ossium fi-  
stula aut in apophysi aut in diaphysi sit,  
et, si morbus minus sit malignus, singula  
ossa afficiuntur, nec non, si gravius hoc

k) Chirurgical observations. Vol. II. pag. 20.

malum reperiatur, plura corripiuntur. *Lentinus* anteriorem juncturam, quam nunquam viderat correptam, neutiquam tabescere contendit (*l*). *Swietenius* dolores majore corporis calore in lecto, vel gravi commotione vel potu vini etc., auctos morbi incipientis indicat signum diagnosticum (*m*).

Ne autem paedarthrocace et fungus articulorum seu tumor albus, qui in infantibus exoritur, inter se confundantur, quod a pluribus jam factum est, utriusque morbi notas characteristicas huc afferre consultum habeo (*n*).

I) Paedarthrocace plerumque in minoribus membris (*o*), uti supra jam commemoravi, tumor albus in majoribus sedem habet.

II) Paedarthrocaces tumor solito durior elasticitatisque semper expers est.

III) Paedarthrocace saepius plures ar-

*l)* L. c.

*m)* Van Swieten Commentar. in H. Boerhaave aphorismos. Vol. I. pag. 920. §. 527.

*n)* Conf. Fleisch Handbuch über die Krankheiten der Kinder. Vol. III. — Augustin l. c. pag. 6.

*o)* Boyer l. c. — *Lentin* l. c.

ticulos, fungus articularis autem singulas juncturas in regula invadit.

IV) Paedarthrocace sola, neque vero tumor albus, in diaphysi oritur.

V) Fungo articulari primum articuli ligamenta, tum utrumque caput articulare afficiuntur (*p*) ; paedarthrocaces autem morbo os ipsum primario corripitur, qua de causa et articularis capsulae affectio in paedarthrocace est secundaria (*q*).

VI) Fungus articularis ex violentia mechanica, quamvis raro, oritur, paedarthrocace vero aliis semper generis causas habet et fontes.

Haec sunt, quibus ex mea sententia uterque morbus inter se differat.

*Severinus* (*r*) in homine quodam, qui paedarthrocace tres annos laboraverat, metacarpi ossium superficiem specillo ex-

*p*) Conf. icon genu fungo articulorum affecti in *Cheselden Osteographia or the Anatomy of the bones. Lond. 1733. Tab. XLIX. Fig. 3.*

*q*) *Cheston pathologische Untersuchungen und Beobachtungen in der Wundarzneikunst. Aus dem Engl. übersetzt von Scherf. Gotha 1780. pag.*

ploratam rugosam et inaequalem, manumque aegrotam infantilis capitis ad instar tumidam invenit (f).

*Plenkius* hujus mali quatuor statuit gradus (t). In primo gradu dolor solus percipitur in osse ipso, qui corporis motuantur, neque vero externo attactu augeatur. Si dolores, dum attingitur tumor externe, aucti percipiuntur, secundus adest gradus, cui succedit tertius, qui proximas partes rubescentes, dolentes et quasi aere inflatas ostendit. In gradu quarto tandem, qui in spina ventosa proprie sic dicta per quam lente exardescere solet, abscessus hucusque clausus membra cutem ad extus per rumpit paulumque puris tenuis atri vel rubentis fundit initio quodammodo odori, mutantur ulceris parietes in massam spongiosam et quasi lardaceam, ac ipsum os, abscessus ruptione denudatum, nigrum spectatur vel cariosum et specillo exploratum arrosum sentitur et inaequale. Eruptione facta ossis tumescentia perdurat et putridum exesum et corrodens oritur ulcus,

f) Conf. Kortum l. c. Vol. II. §. 105.

t) Lehrgebäude von den Geschwülsten. pag. 161.

quo et ipsa ossa mollesque partes in pus diluuntur et superficies non raro cancro-sam recuperat speciem. Febris tandem lenta, qua perimitur aegrotus, accedit. Sic *Plenkius* hujus morbi gradus delineat. Sed, ut viri clarissimi pace id dixerim, descriptio hujus quarti gradus imaginem praebere mihi videtur nimis horridam.

*Paluccius* (*u*) hujus mali tres tan-tum gradus statuit, in quorum primo tu-mor adest plus minus nodosus, plerumque adhuc elasticus et dolore destitutus. Cutis color ab initio non mutatur, postea vero rubescere et quasi acubus pungeretur do-lere incipit. Dehiscit tandem cutis et ulcus existit cariosum. Extra omnem dubitatio-nem quamquam positum est, *Paluccium* hunc morbum recte descriptsse et tumo-rem ab initio interdum doloribus destitu-tum suinma cum attentione observasse, ni-hilominus tamen egomet ipse tumorem in-veni nunquam elasticum.

Sed hae divisiones in sananda spina ventosa nullius sunt ponderis, symptomata enim haec commemorata in diversis hujus

*u)* Raccolti di nuove osservazioni etc. p. 45.

morbi transitionibus ex altero in alterum gradum variant, qua de causa et spinam ventosam in duo stadia dividere praestat in *occultam* scilicet et in *apertam* s. *manifestam*. Curatio ita melius institui potest.

In plurimis casibus scrophulae, raro rhachitis, proximae sunt spinae ventosae causae; plurimorum medicorum observacionibus id confirmatur, v. c. *Belli* (*v*) qui spinam ventosam pro ossium scrophula habet, cui etiam accedit Cl. *Himly*, Professor Gottingensis. Inficiari non possunt, hunc morbum in iis terrarum tractibus, ubi scrophulae frequentes sunt, v. c. in magna Britannia, saepius occurrisse. (*x*) E *Thomae* (*y*) sententia regio septentrionalis a gradu quadragesimo quinto usque ad sexagesimum borealis latitudinis scrophulosis et paedarthrocacae est aptissima. Feminae ob mollem debilemque corporis habitum tum huic morbo tum scrophulosis magis obnoxiae, quam viri, sunt, sed aetate prove-

*v*) System of Surgery. Ed. VII.

*x*) Petit Krankheiten der Knochen. P. II. p. 245.

*y*) Modern Practice of physic. Ed. IV. Lond. 1813.  
p. 448.

ctiores, nisi a teneris laboraverint scrophulis, neutquam hoc morbo afficiuntur. In ea igitur aetate a dentitione usque ad pubertatem, qua periodo scrophulae predominant, etiam paedarthrocace observantur. Ex his patet, omnes omnino causas, quae aut internas aut externas scrophulas gignant iisque faveant, pro remotis haberi, atque iis spinam ventosam tam produci quam conservari posse. De internis et externis scrophularum causis conferatur *Hufelandius* (z), *Weberus* (a), *Kortumi* (b), *Fleischius* (c).

Praeter has jam commemoratas hujus mali causas nonnulli scriptores statuunt atque afferunt insuper alias, v. c. variolas (d),

z) Ueber die Natur, Erkenntnissmittel und Heilart der Scrophelkrankheit. Jena 1797.

a) Von den Scropheln, einer endemischen Krankheit vieler Provinzen Europa's. Salzburg 1793.

b) L. c.

c) L. c.

d) Ephemerid. Nat. curios. Dec. I. Ann. VI et VII. Observ. 108. — *Scheffer* Diss. inaug. de paedarthrocace ex variolis. — *Fürstenau* in Act. nat. cur. Vol. IX. p. 210.

scabiem (*e*), syphilidem (*f*), scorbutum (*g*). *Augustino* teste fluxus sanguinis soliti suppressio aliaque vitia intimam ossium structuram ita afficere possunt, ut spina ventosa exinde oriatur (*h*).

Ad tres priores causas quod attinet, eas hoc loco tantummodo pro causalibus scrophularum morbis et pro remotis spinae ventosae causis habeo. Quodsi enim hi morbi in sistema vasorum absorbentium vim exserunt debilitantem, systematis vasorum absorbentium morbi hac re gigni possunt, exceptis solummodo iis, quibus adest specificum venenum, uti syphilis. Quodsi igitur individui praedispositio, aetas etc. dirigunt, scrophulae, rhachitis, hydrops etc. etiam pro diversis circumstantiis queunt procreari (*i*). VV. DD. jam et

*e)* *Plenk* l. c. p. 160. *Lentin* l. c.

*f)* *Schlichting* in *Trans. philos. ef.*

*Richteri* bibl. chirurg. Vol. III. p. 551.

*g)* *Hist. de l'acad. des sciences.* 1739. pag. 28. —

*Petit* l. c.

*h)* L. c. §. 23.

*i)* *Weber* l. c. §. 36. — *Hufeland* l. c. p.

59 — *Kortum* l. c. — R. *Thomas* l. c. p. 431 dicit: In some instances i think, rikets can

observarunt scrophulas inde ab eo tempore, ex quo variolae minus frequentes grasantur, esse diminutas. Fieri tamen licet, quod in centum casibus forte semel eveniat, ut modo hic modo ille morbus habeatur proxima spinae ventosae causa; neque est, quin inter hos rarissimos etiam morbos primarios scorbutus referatur secundum sati tritum proverbium: nulla regula sine exceptione. De quinta causa, quam supra commemoravi, mihi persuasum habeo, hominem, si ejusmodi casus revera locum haberet, a pueritia laborasse scrophulis.

Postremo sunt quidam VV. DD., qui externam topicam causam, mechanicam sicut aliquam vim, ut ictum, plagam, verbera, quibus in ossa vehementer agatur (*k*), statuant. Quamvis hic casus tamquam occasio fieri possit, quatenus individuum jam scrophulosum sit, et organismus statum normalem partis topice affectae restituere

be traced to a venereal taint, whuh though not the immediate cause, is very often an exciting one of it and scrofula. —

*k)* *Walter* museum anatom. p. 51. no. 405, 408. — *Heyne* Wahrnehmungen T. 11. n. 29. — *Memoires de l'acad. des sc.* Ann. 1737. p. 64.

non possit; e contrario tamen ejusmodi os facilius afficitur. Aderat fortasse in non-nullis casibus jamjam spina ventosa incipiens, quae in sequenti forte laesione mechanica partis medico innotescebat. Sed quum fieri non liceat, quin spina ventosa proprie sic dicta sola vi mechanica proveniat, huc nihil faciunt ad praxin externae illae causae.

### Prognosis.

Scrophularum curatio, ut omnibus notum est, quum sit difficillima, prognosis ob majorem eum scrophularum gradum, de quo hic sermo est, satis laeta esse nequit, praesertim quum morbus hic inhaereat ossibus, quorum morbi omnium sunt maxime chronicci. Interim vero prognosis quovis singulo in casu tum ab internis tum ab externis scrophularum causis προγνωμέναις dependet. Itidem et quodvis hujus morbi stadium prognosin habet suam peculiarem, v. c. prognosis paedarthrocaes, quae adhuc occulta est, melior habetur, quam apertae. Idem est, si unicum os sit affectum, quam si plura. Tum et diuturnitas hujus morbi ejusque complica-

tiones multum ad formandam prognosin conferunt. Quodsi tamen huic morbo succurritur remediis roborantibus diaetaque congrua, exempla non desunt, quibus morbus, quamvis infestissimus, curatus probatur.

### T h e r a p i a.

In morbis, quorum causae inveniuntur scrophulae, antiscrophulosa, et ubi rhachitis est, tonica, roborantia, uti martialia, corticem peruvianum, etc. indicari satis constat. Quod ad antiscrophulosa medicamenta attinet, praecipuorum paullo infra mentionem faciam. Hic juvat nonnulla de paedarthrocaces complicatione praemonuisse. Infantibus, qui ex spina ventosa laborant, plerumque abdomen tumidum, lingua obducta, dolores colici plus minus intermittentes sunt; interdum etiam vermes, mucus et aliae sordes alvo excernuntur. Ubi haec et similia visuntur signa, primo vel blandis emeticis, vel laxantibus primas vias curare debemus purgandas. Ipsa autem sordium gastricarum major sursum deorsumve turgescentia vel emetorum vel purgantium indicat usum. Opti-

mum hic conducens emeticum tartarus stibiatus est, et optimum purgans hydrargyrum muriaticum mite, idque, si opus fuerit, Rheo aut Jalappa forma et dosi congruis mixtum, cui scopo et gummata ferulacea, ut ammoniacum, galbanum etc., bene respondent.

Antiscrophulosa autem, contra paedarthrocacen laudabili cum successu hucusque adhibita a medicis, haec sunt:

### I. *Resolventia.*

1) *Antimonialia*, seu *Stibialia*, et inter ea potissimum Stibialia sulphurata, ut Sulphur stibiatum aurantiacum et Sulphur stibiatum rubeum, a quarta inde usque ad dimidiam grani partem pro dosi. Haec enim medicamina laxis hujusmodi constitutionibus optime prosunt.

2) *Mercurialia*. Quae in omnibus scrophulosis morbis praeter caetera quum maxime efficacia observantur (l), ex omnibus hujus census praeparatis Hydrargyrum mu-

(l) *Hufeland* l. c. p. 195. — *Schlichting* l. c. — *Schreiber de peste* p. 44. — *Heisteri chirurg. Observ.* T. II.

riaticum mite ad quartam grani partem prodosi in primis commendandum habeo (*m*), et quidem Sulphure stibiato aurantiaco conjunctum, id quod sub pulveris *Plummeri* nomine jam dudum innotuit. Neque Hydrargyrum muriaticum corrosivum silentio est praetereundum. In pertinacissimis enim hujus morbi casibus ex sententia VV. DD., qui id observarunt, invenitur efficax. Clar. *Althofius* (*n*) memorat e praxi sua puerum imbecillem diuturna tussi, asthmate et paedarthrocace laborantem, quem Hydrargyri muriatici corrosivi usu optime restituit, postquam is intra quatuordecim septimanas LXXIV. Hydrargyri muriatici corrosivi grana hauserat. Huic observationi beatus meus praceptor *Richter us*, Gottingensium decus, haec adjicit: „Testor hanc rem. Aegrotus est nunc adultus, et gaudet, pluribus exinde annis elapsis, integra et sirmiori quam antea sanitate.“ Quamvis haec ita clara atque vera sint ut nihil iis contradici queat, Hydrargyrum tamen muriaticum corrosivum, quae est mea

*m)* Cf. R. *Thomas* l. c. p. 493.

*n)* *Richteri* Bibl. chirurg. T. XI. p. 262.

sententia, non nisi necessitate urgente adhiberi licet. At, quod probe notandum, octava tantum pars grani pro dosi, id si porrigi velis, matutino et vespertino tempore adhibeatur, soluta quidem aqua de stillata cum quadam mucilaginis gummi arabici et Tincturae Opii aliqua dosi, vel etiam pilularum forma, adhibitis autem non mica panis, sed extractis amaris et ipso pulvere Cinchonae.

Sed hic moneri lubet in universum: quamvis hydrargyri usus diuturnus in hoc morbo requiritur, attamen semper cavidum est, ne id ad eum gradum adhibeatur, ubi oriatur aut ptyalismus, aut ipse mercurialis morbus. Experientia enim edocit scimus, dissolvente ejusmodi hydrargyri efficacia quoscunque scrophulosos morbos augeri (o). Ut vero id evitemus, roborantia, narcotica, et antimonialia, interdum etiam blanda purgantia pone mercurium adhibeantur, prout casus indicat. Tum etiam crebrior praeparatorum hydrargyri alternatio medicis commendatur; nam novum quodvis praeparatum evadit illo, cui

(o) Thomas l. c. pag. 493.

aegrotus jam diurno ex usu est assuefatus, fortius. Nec huic veritati quidquid potest contradici. *Hydrargyri* usu, si febris adsit lenta, abstinentum esse, non est quod negem. Quamnam vero opem hoc in statu medicus poterit praestare?

3) *Herba Cicutae* (*Conium maculatum L.*). Hoc est egregium et *Stoerkii* (*p*), *Bergii* (*q*), *Pideritii* (*r*), *Baldingeri* (*f*) et *Justamondii* (*t*) experientia jamjam laudatum medicamentum antiscrophulosum. *Baldingerus* pulverem herbae cicutae melle conjunctum suppeditari jubet, cuius viri sententia gravissima mihi videtur. Initium fit cum tribus, quatuor vel quinque granis pro dosi, prout parvuli aetas id postulat, atque eo usque ad unam, duas drachmas quovis die augetur dosis. Ut cicuta efficaciam suam exserat, necesse

*p)* Lib. de cicutâ I, II. et Suppl. Ed. II. Vienn.

1761.

*q)* Mat. med.

*r)* Diss. de modo, quo venena ut medicamina salutaria agunt. Marburgi 1773. — *Ejusd.* Disp. Elect. Hass.

*f)* Magazin für Aerzte. 5. B. 2. St.

*t)* Von der Heilung in Krebsgeschwüren,

est, ut diu continuetur, idque crescentibus pro individui constitutione dosibus, donec mydriaseos, vertiginis vel nauseae vestigia accedant (*u*).

4) *Belladonna* (Atropa Belladonna L.). Quamquam hoc medicamen iis est annumerandum, quae magni hoc in morbo aestimari debent, observationes tamen, quae huc faciant, desunt, et analogia, quae ei fidem facit, acquiescere debemus. Grani dimidii dosis usque ad quatuor grana pulveris herbae belladonnae infantibus bene sufficiet in aliquo vehiculo apto. Cicutae etiam belladonnaeve extractum in pilularum bolive formam redactum potest adhiberi minoribus tantummodo dosibus.

5) *Asa foetida*. Jamdudum laudatissimum contra scrophulas ossiumque morbos existit remedium, quod, quum hic loci nullatenus contra indicetur, eo magis nostra meretur attentione.

6) *Arsenicum album*. Hoc remedium, quod contra scrophulas a Britannicis medicis gravissime commendatur, in scrophulosis ulceribus curandis se praebuisse fertur

*u)* Cf. R. Thomas l. c. p. 495.

fortissimum (*v*). Porrigitur sub forma liquoris arsenicalis (*x*), sive Solutionis mineralis *Fowleri* (*y*) ab una ad quinque guttas, bis terve in die.

Attamen dosis, si ventriculo molestiam incommodumve afferat, aut minuenda aut removenda est, tumque leniores Opii doses, vel catharticum tepefaciens, uti Tinctura Rhei, porrigantur. Symptomata gravia v. c. vomitus, colica etc., quae arsenici usus oriri solent, perversae usus rationi solummodo attribuit *Thomas*, qui incommoda ex arsenici usu, quod cum aliquot Tincturae Opii guttis conjunctum persaepe adhibuerit, hac conditione vidisse prorsus negat, et in pertinacibus febribus intermittibus hanc formulam adultis adhibendam commendat:

**R. Liquoris arsenicalis guttas tres ad duodecim**

**Decocti Cinchonae drachmas decem  
Tincturae corticum aurantiorum drachmas duas**

*v)* *Thomas* l. c. p. 16 et 496.

*x)* *Pharmacopoea Londinensis* 1809.

*y)* *Arnemann's prakt. Arzneimittellehre*. Fünfte Auflage. Göttingen 1811.

Tincturae Opii guttas quinque.

M. f. haustus ter in quovis die sumendus; insp. hi sors da (x) i. salwo<sup>A</sup> sit vel

R. Infusi radicis Columbo drachmas duodecim

Liquoris arsenicalis guttas quinque

Tincturae Opii guttas octo

Tincturae Cinchonae compositae drachmas duodecim.

M. f. haustus quarta sextave quaque hora capiendus.

Formulas prorsus similes minutis pro portione dosibus, si arsenico uti velis, ad scrophulas commendat D. Thomas. Tuttiora vero, quam Solutio arsenicosi kali, et meliora sunt, secundum novissimas observationes, Solutio sodae arsenicosae *Harlesii* et Arsenicum sulphuratum flavum (z). Nec praetermittenda hic loci sunt Terra ponderosa muriatica, Tussilago Farfara, Digitalis purpurea, et Calx muriatica, quam

(z) Cf. C. F. *Harles* de arsenici usu in medicina.

Norimb. 1811. Cf. Salzburg. med. Zeitung A.

1813. N. 63. p. 203 seqq. — C. L. *Heine* Der Arsenik als Fiebermittel. Berlin 1811.

ultimo loco nominatam *Woodius* (a) magui aestimat, eamque ipsi Terrae ponderosae muriaticae anteponendam censem.

Efficacissimorum omnium remediorum, quae a me jamjam laudata huc referri possunt, delectum a me institutum esse quamquam mihi persuasum habeo; placet tamen, generalibus de his remedii observationibus praemissis, roborantia quaedam tonica ad secundam antiscrophulosorum classem spectantia hic commemorare.

Inter omnia roborantia, quae huc pertinent, primum locum obtinent lotiones et balnea e substantiis aethereis et aromatis, uti floribus chamomillae, herbis menthae piperitae et crispae, herba rorismarini parata, quorum temperatura quindecim ad octodecim gradus scalae Reaumurianaes esse debet. Hujuscemodi remedii tamdiu insistere debemus, donec constitutionis universalis (maxime quoad abundantem muci in primis viis copiam) tum localis accedat melioratio. Paedarthrocaes melioris autem status signum est decrementum tumoris et effluxus.

a) Cf. the Edinburgh medical Journal. Vol. I. p.

Contendere nolim secundi ordinis remedia non nisi in decrescentis morbi stadio esse applicanda, sed potius ea, quae supra commemoravi, antiscrophulosa cum hisce secundi ordinis medicaminibus jungenda censeo, quinimo in nonnullis casibus primae classis medicamenta absque noxa et vice versa adhibenda.

## II. Roborantia, tonica.

1) *Cinchona* primo loco est ponenda, cuius egregiae vires omnibus tam cognitae sunt, ut eas uberius exponere supervacaneum sit.

2) Nec *Calamo aromatico* in hoc aliisque morbis deneganda est virtus maxime praestans. *Weikardus* (b) longum per temporis spatium apud Rossos versatus ejus vires insignes maximopere laudat.

3) *Extracta amara*, uti *Taraxaci*, *Gentianae*, *Trifolii* etc. commemorasse juvabit.

4) *Martialia* medicis probantur, in primis *Ferri carbonas* (vulgo ferrum praecipitatum) ac *Ferrum ammoniatum* *Pharmacopoeae Londinensis* (olim ferrum ammonia-

b) Medicinische Fragmente. Frankfurt 1791. p. 196.

cale) ut et Tincturae martiales, quae secundum pharmacopoeam istam e ferro parantur, ut Tinctura ferri ammoniati et Tinctura ferri muriatici. — Ferri carbonatis dosis est universim granorum quinque ad viginti, et Ferri ammoniati est granorum duorum ad grana quindecim plus. Decem ferme grana hujus praeparati quum ab projectiore aetate intra viginti et quatuor horarum spatium hausta sufficient, parvulis commoda portio facilime exinde colligi potest. Ferri carbonas optime propinatur in bolos pilulasve extractorum ope amarorum Taraxaci, Gentianae, Trifolii, ut et Cinchonae, Valerianae etc. redactum; ammoniatum contra ferrum in solutionibus, electuariis cum ceteris roborantibus remediis, ut Calamo aromatico, Valeriana, Cinchona datur.

Tincturae ferri muriatis (c) guttae tres ad viginti plus bis terve die hauriantur.

c.) Hujus tincturae praeparatio est:

R. Ferri carbonatis libram dimidiam

Acidi muriatici libram unam

Spiritus vini rectificati libras tres.

M.

Tincturae Ferri ammoniati (*d*) dantur guttae XX. ad sexaginta bis terve in die.

Martialium dosin paullatim augendam esse, jam ex indicatis dosum rationibus satis elucet. Qualis infantium dosis sit, et quousque haec augeatur, ex aegroti aetate et natura semper dependet.

His tonicis in primis martialibas medicamentis, quibus uteris, aliquot grana rhei et unum vel duo grana hydrargyri muriatici mitis addere debeas, ut venter ad strictus et suppressus aliaque mala inde orta pellantur. In universum ab amaris aromaticis ad martialia sensim sensimque transcendendum est; nam martialia a parvulis difficulter feruntur. Hujus demum classis remediis ad numeranda sunt balnea tepida martiata temperaturae supra indicatae, quae, quum in plurimis casibus arte parantur, globulorum martialium uncia una ad duas ad singula sufficient, aut Extracti martis drachmae duae ad tres alcohole solutae aquae ingerantur.

*d)* R. Ferri ammoniati uncias quatuor  
Spiritus tenuis libram unam.

Praeter haec jam commemorata remedia plura inveniuntur efficacia antiscrophulosa, jam dudum notissima, quibus forsitan et in paedarthrocacen aliqua foret vis (e). Haec remedia victu nutriente et blando adjuventur, et universim diaeta antiscrophulosa sit necesse est (f). Denique et mundities commendanda est, inde linteamentorum vices permutari et lectos aeri exponi oportet. Etiam aegroti habitaculum salubre ac siccum sit, aeremque purum habeat, utpote sine quibus auxiliis nulla sanationis spes erit.

His absolutis quaedam de spinae ventosae topica tractatione adjicere lubet.

Spina ventosa dum in stadio occulto versatur, omnia, quibus ulceris eruptio efficitur, summopere removeri, antiscrophulosa, tepida martiata balnea pluries quotidie reiteranda adhiberi, ac unguentum hydrargyri cinereum sine terebinthina paratum (g) os-

e) De his medicaminibus adeas *Hufelandii*, *Weberi*, *Kortumii* libros supra laudatos.

f) *Hufeland* l. c. p. 131 — 156.

g) Unguentum Neapolitanum vulgo prostans a multis pharmacopolis paratur cum terebinthina, cu-

sis tumori illiniri oportet. Tumore vero, ut plerumque fit, erumpente, ossis fistulam, dummodo certam atque exploratam habes, stilo exploratorio, nisi necessitas urget, vel tentare, vel vulnus prorsus dilatare noli. Interna remedia sine interpellatione continuentur, iisque ipsis externa succurant necesse est. Balnea topica hoc momento ejusmodi esse debent, quibus luxurians vulneris caro arceatur, ergo incitania, acria, adstringentia. Huic indicationi respondet saturatum Sabinae vel Calami aromatici infusum partibus anaticis paratum. Praeter topicum hocce balneum etiam lintei filimenta infuso illo imbuta ulceri imponantur emplastri hydrargyri et foetidi ana obtegendo, ac unguentum hydrargyri cinereum circa vulnus continuo infricitur. Illud emplastrum addito pulvere radicis belladonnae efficacius adhuc reddi potest. Morbo universali remoto, tumor ossis collabitur. Tum universalia et topica balnea martialia adhibeantur, quibus vulnus, ut ita dicam, sua sponte sanatur. Sin autem paedarthrocace ossis

*latus ab illinitione in cute facile producuntur ex-  
coriationes sanationem impedientes.*

epiphysin occupat, membra agitatio curationem non modo impedit, sed etiam prorsus insanabilem reddit. *Fordius* (*h*) plura memorabilia exempla affert, quae cariem ossium carpi membra quiete et rariore deligatione feliciter sanatam esse docent. Hunc itaque modum in iis casibus, quibus articuli agitatio curationi obest, quantopere commendando. Quies enim et affectae partis involutio sunt in re chirurgica remedia maxime praestantia.

In plurimis casibus, quum spina ventosa in juncturis habet sedem, ankylosis sequela esse solet. Inde *Lentinus* acidum phosphoricum aptis fluidis, ut infuso herbae salviae, scordii etc. dilutum, et linteolis imponendum suadet; *Callisenus* autem setaceo morbosum os perforandum existimat, ut puris liberior exitus fiat, unde brevi accedat sanatio. At haec methodus mihi minus laudanda videtur, utpote quod cutis externa cum ossis vulnera plane coalescat, adeoque canalis hians fistulae ad modum aegro remaneat. — Amputationem hic ni-

*h) Observations on the disease of the Hip-domt.*  
Ed. II, Lond. 1810.

hil facere, ideoque non admittendam esse, ex ipsa morbi indole ipsisque causis elucet. Etenim universalis morbo nondum sublato vel aliud os, amputatione facta, afficitur, vel abdominis pectorisve viscera laeduntur, unde phthisis mesenterii scrophulosa aut hydrothorax aegro parant interitum. Quem ob fidem *Bromfieldii* et *Schlichtingii* sententia secutus eam prorsus abjicendam esse censeo.

*Spinae ventosae casus.*

Auni millesimi octingentesimi duodecimi Julio mense quum Cassellis commorarer, puella quaedam, tres annos et dimidium nata, quae spina ventosa in manu laborabat, a parentibus ad me deducta est. Longum per temporis spatium ea hoc morbo erat affecta; quo factum est, ut stadium morbi esset apertum. Quae examine aegrotae hac occasione instituto inveni, haec sunt. Puella erat pro aetate tenera, parva et imbecillis; ceterum praeter pallorem faciei, capillorum flavedinem, oculos caeruleos, dilatatas pupillas, tumescentes non nunquam cervicales glandulas, ventremque prominentem vestigium habitus scrophulosis prorsus nullum prodidit. Spina ventosa, quae in sinistra manu erat, digiti medii ossis metacarpi diaphysin occupabat, ulcerisque apertura erat tam parva, ut non nisi specilli argentei ingressum permitteret. Inchoaverat morbus, ut ex parentibus cognovi, sponte, et ratione, quam supra exposui, vulneris ipsiusque ossis habitus symptomata, quae supra recensui, p[re]ae se ferebat, ulcusque paucum puris mucilagi-

nosi atque inodori excernebat. Durabat dolor tum in vulnere ipso, tum in hujus ambitu ipsoque ossis tumore, ac non nisi, quum specillum ossis cavo immitteretur, aliquis dolor apparuit. Malo hucusque prorsus a parentibus neglecto, jam inde a tribus mensibus ex consensu glandula quae-dam ad inferiorem extremitatem prope bra-chialem internum et tricipitem musculos paullo supra condylum internum sita in-tumuerat ad ovi gallinacei magnitudinem et insignem duritiem, ceterum doloris ex-pers. Praeterea aderat crebrior colica, ex-i-mia ciborum appetentia, subinde narium pruritus, lingua muco obducta, interdum diarrhoea et lumbricorum per alvum excre-tio. Aegrotae parentes, qui, quantum scio, minime premebantur miseria, nec adhuc premuntur, optima gaudebant valetudine, praeterquam quod pater aetate jamjam pro-vectior hypochondria subinde laborasse vi-debatur.

Primum ad depugnanda vermium symp-tomata electuarium dedi ex semine Santo-nici cum rhei syrupo, quo plures lumbrici cum multa pituita excernerentur. Minuto post duas circiter septimanas abdominis am-

bitu, lingua puriore vermiumque signis remotis, specialem spinae ventosae curam auspiciatus sum. Interea dedi

R. Hydrargyri muriatici mitis grana octo  
Sulphuris stibiati aurantiaci grana se-  
decim

Pulveris herbae cicutae drachmas duas  
Sacchari albi unciam dimidiam.

M. f. pulvis. Divisus in XXIV. partes ae-  
quales s. mane et vespera dosis  
una cum melle sumenda.

Istud medicamen eo usque continuavi, do-  
nec halitus odorem lene metallicum prode-  
ret, pupillarumque dilatatio accederet; qui-  
bus phaenomenis durantibus, remoto medica-  
mine illo, lene praebui catharticum, uti rhe-  
tincturam, vel etiam roborans, uti infusum  
calami aromatici, prout res postulabat. His  
intervallis pulveres istos mercuriales per tres  
circiter menses ter repetitos continuavi,  
quo facto ossis tumor purisque effluvium  
admodum imminuebantur, glandulaeque il-  
la in brachio tumescentia prorsus evane-  
scebat. Eodem tempore in locum affectum  
hydrargyri unguentum cinereum quotidie  
illinebatur, balneaque tepida cum Sabina  
et Calamo aromatico ter quaterve in die

adhibebantur. Tum noctu et interdiu partem affectam emplastri foetidi et mercurialis partibus anaticis obtexi, idemque emplastrum tumescenti in brachio glandulae impositum est, dum interea balnea illa aromatica assidue continuarem. Aegrae victus nutriendens erat; ova, carnem, oryzam mucilaginem avenae et Sago praebui; interdum et vini gallici pauxillum concessi. Coelo sereno et sicco puella sub diu mul-  
tum ambulabat.

Ista therapia aegrae constitutione mul-  
tum emendata, ac potissimum abdomine a sordibus mucosis satis liberato, ab eo-  
rum, quem memoravi, medicaminum usu  
abstinui, et ob debilitas potissimum dige-  
stionis vires Asam foetidam cum Valeriana  
in auxilium vocavi, quorum remediorum  
odor ingratus parvulae sensum minime,  
sicut verebar, offendebat, ita, ut Asam  
foetidam vitelli ope subactam et solutam  
vel in pillulas redactam libenter hauriret.  
Quapropter egregium hocce remedium per  
sex prorsus hebdomades continuavi, idque  
felicissimo cum successu. Evasit enim pu-  
ella indies alacrior et vegetior, evanuit  
ossis tumor ipsumque vulnus non nisi ali-

quas humoris serosi guttulas quotidie edit. Itidem et localia illa linimenta mercurialia et balnea ~~et Sabina~~, durante Asae foetidae applicatione, omisi, eorumque loco balnea martialia applicui, et emplastrum mercuriale continuavi. Adhibui etiam pro potu ordinario infusum glandium quercinorum tostorum diaetamque omnino nutrientem.

Debilem autem laxumque corporis habitum ut emendarem, ab amaris aromatidis et aethereis (uti calamo aromatico, extractis amaris, cortice peruviano, tincturis aromaticis, naphthis etc.) ad martialia sensim sensimque transii; primum tincturam Martis pomatam, postea ferrum ammoniatum praebui. Interea callosos ulceris margines lapide infernali saepius tegi, unde vulnus externum brevi claudebatur relicta exigua cicatrice, infansque evasit in integrum restitutus. Nihilominus tamen ad impediendas mercurialium, quae adhibueram, aliquales noxas plura adhuc balnea sulphurea arte parata praescripsi. Universim ista parvulae curatio octo mensium tempus adimpleverat. Quum aestate praeterlapsa atque etiam ante aliquot

ab hinc menses Cassellis commorarer, puel-  
lam istam, quae nunc nonum aetatis an-  
num gerit, sanam atque integrum reperi,  
et eo usque bene semper valuisse a paren-  
tibus cognovi. Manus olim affectae digi-  
tus medius absque reliquorum digitorum  
extensione plenarie extendi non potuit, un-  
de digiti illius tendinem extensorium, qui  
est extensoris digitorum communis propa-  
go, in vulneris pristini loco ad os meta-  
carpi digiti medii agglutinatum esse eoque  
in actione sua impediri, verosimile est.  
Nihilominus autem manus istius robur et  
agilitas optime se habet, ipsiusque vulneris  
vix ullum restat vestigium.

Praenobilissimo doctissimoque doctorando

# Samuel Christianus Lucae

s a l u t e m .

Scrofulam quum exhibueris in libello Tuo tamquam saepissimam paedarthrocaces causam, suavissime mi amice, de ipsa illius natura et efficientia quaedam hic loci a me annotari non graviter feres. Pro dit autem omnis scrofulae et genesis et habitus et decursus effectusque imo therapia regressivam nisus formativi in pueritia sursum tendentis ad deorsum directionem, irritabilitatis universalem in vegetacionem metamorphosin, pueri ad statum foetalem reappropinquationem, animalitatis a vegetatione extinc tionem, vegetationis demum ipsius ab altioris ordinis legibus et rectoribus infrenationem ac ultra individui et organorum fines vitales extravagationem. Hinc scrofula non certi unius systematis organici morbus habenda est specialis, sed potius generalis omnium corporis organorum et systematum morbosa indoles, cachexiae scrofulosae nomine significanda ac ad pathologiae generalem magis partem spectans quam ad specialem. Singula autem morbi scrofulosi signa et symptomata, quae in cute, glandulis, visceribus, membranis, cellulosa, imo ossibus obser vantur, ea de causa nil nisi affectiones organorum speciales debent aestimari eundem semper cachexiae scrofulosae characterem prae se ferentes, huncque pro diversa organorum textura, natura, dignitate et temperie vitali diversimode exhibentes, ac quoad ini-

tium suum mutuumque successum, adscendendo ab inferioribus organis ad altiora, a cellulosis ad fibrosa, a mollioribus ad solidiora, partium corporis seriem organico-vitalem accurate legentes; id quod proximo abhinc tempore unus ex commilitonibus nostris dissertatione sua fusius monstrabit. Ad paedarthrocacem nunc quod attinet, scrofulis saepissime oriundam, quam et ipse pluries in scrofulosis observavi idque semel in metacarpo et metatarso unius ejusdemque individui carie vertebrarum et cyphosi postea extincti; scrofulosa istius morbi indoles ex speciali ossis affecti habitu, morbi scilicet ab intus ad extus progressu, rotunda ossis et quasi glandiformi tumescentia circumscripta, ac ex pure mucoso limpido ac inodoro satis elucet. Demum si speciem scrofularum ad rhachitidem relationem et faciem istarum ex gonorrhoeis genesin nuperrime observatam spectamus, paedarthrocaces tamquam specialis ossium scrofulae per diversos aliasmodi morbos cachecticos generationem posse dari in aprico est. Hinc merito Tibi est, quod verum paedarthrocaces characterem et habitum consentiente natura et rectius, quam plures alii descripserunt, depinxisti eoque ad veram hujus mali cognitionem contulisti. Ceterum summos, quos hodierno die capessurus es honores, tamquam honorificum studiorum eximia cum laude peractorum praemium, ex animo Tibi gratulator, atque amicitiam Tuam in posterum mihi expeto. Vale!

Dabam Marburgi d. xxix. Martii MDCCXVII.